

**UN TUR** 1709

DE NONNULLIS

**EPISTOLARUM JOHANNEARUM**

**LOCIS DIFFICILIORIBUS**

**COMMENTATIO PRIMA.**

QUA

**AD AUDIENDAM ORATIONEM**

PROFESSIONIS THEOLOGICAE EXTRAORDINARIAE

IN

**ALMA ACADEMIA TURICENSI**

ADEUNDAE CAUSA

D. XII. M. AUGUSTI A. M. DCCC. XXXVII. H. XI.


IN AULA ACADEMICA

RECITANDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

**OTTO FRIDOLIN FRITZSCHE**

THEOL. LIC.



**TURICI**

PROSTAT APUD FRANCISC. HOFFMANNUM.

th. 217. 1709.

807

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

Epistolae Johanneae, quarum prima quidem summa commendatur argumenti gravitate, his annis, quibus plures Novi T. libri, maxime vero epistolae Paulinae novis interpretibus abundant, imo ab iis paene obruuntur, minus, quam velles interpretum studiis illustratae sunt. Sed sive verborum facilitas et perspicuitas novam interpretationem desiderare non videbatur, sive rectius Johannis subtilitas atque sublimitas viros d. deterruit, sive denique post Lueckium, optimum scilicet interpretem, acta agere sibi videbantur, apud me quidem hae rationes non eo usque valuerunt. Quamquam enim nihil omnino de laude Lueckii, docti et sobrii explicatoris, detraho neque temere me eum duco, qui reconditos motus et sensus divi Apostoli omnino aperire possim, repperi tamen, nisi mea me fallit opinio, quae plurimum illarum epistolarum locorum intellectum plus minus adjuvent. Hac itaque scribendi occasione ita fruar, ut de nonnullis earum locis paullo obscurioribus, quae nondum satis accurate intellecta esse existimo, disserere exordiar.

Proficiscor autem ab ipso epistolae primae initio (1,1—4.), difficili illo quidem, sed quod minus interpretum ingenia vexasset, si satis perpendissent, versus illos

exordii vim habere, quibus Johannes sublimem sectatus orationem pro indole sua mystica necessario obscuritatem quandam obduxisset cf. ev. Joh. I, 1 sq. Quam ob rem in universum quidem nihil continere possunt, nisi quod lectores hujusmodi epistolae primum monendi sunt, nimirum qui sit scriptor, quid et quo scribat consilio, neque offensioni esse debet, quod oratio non leniter fluit, sed scriptor quo erat animo commoto et sententias audacius connexuit et nonnulla obscure, vel certe ambigue enuntiavit. At vero in alia omnia abierunt permulti interpretes<sup>1)</sup>, qui primum eo peccarunt, quod veram rationem hujusmodi prooemii non assecuti Apostolum nescio quae alia egisse existimarunt. Quum enim historicas rationes, quibus epistola niteretur, accuratissime cognovisse sibi viderentur, ad has ipsas magnam partem temere excogitatas hic respici opinati<sup>2)</sup>, totam inter-

1) Nonnulli sane quid hac in re verum esset plus minus perspexerunt. Sic jam Hieron. Zanchius, reformatae ecclesiae theologus, qui post saec. XVI med. floruit (in I ep. J. capita priora (II.) praelectiones. Opp. T. VI.), hic totius epistolae *προοίμιον* idque perfectum deprehendit, quo nimirum lectores redderentur attenti, dociles et benevoli. Nec male Heumann (Nova Syll. dissertatt. II. p. 161.) „Joannes in hoc exordio totus pio affectu ardens magis res, quam verba loquitur” sed quae addit „minusque adeo ejus v. sunt exigenda ad normam grammaticam” cautionem habent. Luecke autem (Commentar über d. Briefe d. Ev. Joh., Bonn 1836. ed. II. p. 125.) universum prooemii argumentum recte constituit.

2) Inprimis jam hic Apostolum haereticos nescio quos mipugnare dictitarunt, qua in re quid probabile sit, infra dicam.

pretationem perverterunt. Deinde vero dogmaticis capti studiis singulis verbis et partibus horum vss. justo magis ita inhaeserunt, ut nec singula satis accurate explicarent, nec quale totum esset prooemium assequerentur.

De universa versuum et sententiarum complexione nihil obscurum. Dudum enim intellectum, vs. 1. sententiam inchoari, quae cum vs. 2., qui modo dicta explanaret intercepta esset, vs. 3. ita demum continuari et absolvi poterat, ut in fronte hujus vs. nonnulla verba ex praegressis perspicuitatis causa reppererentur. Quamvis vero haec ratio, quam jure plurimi inierunt interpretes ([Syr.] Oecum., Bulling., Calvin., Beza, F. Socin., Grot., Abr. Calov., Luecke al.), facilitate, imo verbis ipsis satis manifesto commendetur, nec quidquam habeat, quo recte offendaris<sup>3)</sup>, extiterunt tamen, qui verba aliter struenda esse dicerent. Sed horum tria tantum nupera consilia

<sup>3)</sup> Sed Lueckio l. 1. p. 109. parenthesis vs. 2. non satis recte habere visa est, cum apodosis, quae re vera vs. demum 3. sequeretur, jam vs. 2. v. ἀπαγγέλλομεν initium caperet. Putat igitur V. D. sententiam apodosis vs. 3. jam vs. 2. enuntiari. Sed mea quidem sententia hoc non omnino verum est, quia ἀπαγγέλλειν τ. ζωὴν τ. αὐ. vs. 2. minus late patet, quam ἀπ. ὁ ἔωρ. κ. ἀκ. vs. 3. Sane vero vs. 2. non nisi hoc dicendum erat, Verbum vitae antea ignotum jam ita apparuisse, ut cerni et manibus adeo contrectari potuisset, sed cur plura Johannes adjecerit facile est intellectu v. inf. Ad dit praeterea V. Vener. v. vs. 3. repetita argumentum vs. 1. et 2. per compendium complecti. Imo primaria vs. 1. v. perspicuitatis causa repetuntur, sed quid quaeso est, quod hac verborum repetitione liceat offendi?

hic referam, alia priorum interpretum congressit Seb. Schmid in comm. ad h. l. Agmen ducat J. Bened. Carpzov (Epp. cathol. septenarius. Halae 1790. p. 127.), qui v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ. — κ. ἐωράκ.* uncis inclusit, ita explicans: „Qui exstitit ab initio, quem — (filium dei *puto* aeternum; nam ille suscepit naturam humanam et cum eo viximus familiariter) eum *inquam* annunciamus —”, quasi verò liceret post v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ. λαλοῦμεν* vel *γράφομεν* cogitando addere et, ne plura afferam, vocula *καὶ* apodosin inchoare. Nec Ven. Pauli probari potest sententia, qui (Die drei Lehrbriefe von Joh. Wortgetreu — übersetzt und — erklärt. Heidelberg 1829. p. 4.) jam vs. 1. sententiam absolutam esse censet h. m.: Quod erat — *illud etiam* manibus contrectavimus utpote quod erat circum τὸν λόγον (*περὶ τ. λ. ὄν*). Hoc enim graece ita fere enuntiandum erat: ὁ — τὸ αὐτὸ καὶ — ὡς —. Denique mihi res est cum clarissimo Winerō, qui (Grammatik des neutest. Sprachidioms ed. IV. p. 495.) ideo credo, quod alioquin de legitima v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ.* explicatione desperaret, his ipsis v. apodosi initium constituit. Johannem enim, cum post v. illa *γράφομεν ὑμῶν* scripturus esset, τῆς ζωῆς memoria adductum (? v. inf.) explicandi causa versum 2. adjecisse et cum jam vs. 3. ὁ ἐωρ. κ. ἀκηκ. utpote primaria vs. 1. v. repetiisset, structura verborum commutata ἀπαγγέλλομεν ὑμῶν scripsisse. Verum enimvero dura haec et satis importuna explicatio eo prorsus evertitur, quod illa ratione Johanni finita parenthesi non v. ὁ ἐωρ. κ. ἀκηκ., quippe quae huc omnino non pertinerent, sed v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ.*, quibus apodosin inchoarat, repetenda erant. In his enim vis sita erat,

quae etiamsi verborum *γράφομεν ὑμῶν*, quibus apodosin claudere voluerat, esset oblitus novo certe verbo aptanda erant h. m.: — *περὶ τ. λόγ. τ. ζ. — καὶ ἡ ζ.* — — *ἐφανερώθη ἡμῶν — τὸν λόγον τῆς ζωῆς ἀπαγγέλλομεν ὑμῶν.* Profecto ejus Apostolum mentis perturbationis et confusionis V. D. postulavit, quam ne in infimo quidem scriptore facile quaererem. Ne plura; nam v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ.* cum antecēdentibus arctissimo vinculo contineri infra docebo.

Jam vero si verba illa, qua dixi ratione conso-  
ciata attente perlegeris, de nonnullorum quidem no-  
tione et vi fortasse etiam tum dubitabis, sed haud-  
quaquam de summa sententia. Nam cum Apostolus  
se etiam atque etiam auritum et oculatum rerum chri-  
stianarum testem dicat lectorumque doctorem, nihil  
nisi hoc in verbis inesse potest: Ego, qui ab ipso inde  
initio rebus christianis intereram, quemque pessime  
sperneretis doctorem, ea ipsa, quae vidi et audiui  
vobis annuntio, ut vos etiam mecum communionem,  
at quantam illam, habeatis. Haec vero scribo, ut fides  
vestra christiana magis magisque crescat, imo per-  
fecta reddatur. Sed haec quidem in universum dicta  
sunt, nunc accuratius disserendum. Tripartita autem  
nostra sit disputatio. Primum enim praecipuas expli-  
catorum sententias recensebo, deinde meam qualem-  
cunque loci interpretationem enarrabo, denique totius  
loci ambitum et vim describam.

Ac praecipua et quae summam rem continet inter-  
pretum dissensio in v. *ὁ* et *ὁ λόγ. τ. ζ.* sita est, quae  
cum duplici modo explicari posse viderentur in duas  
partes vv. dd. abierunt. Vetus autem et maxime per-  
vulgata eorum est sententia, qui (Syr., Beda Ven.,

Oecum., Calv., Beza, Abr. Calov., Bengel al.) illis v. ipsam τοῦ λόγου personam indicatam esse censent & que cum I. ev. Joh. 1, 1. squ. tum aliis rationibus aut probarunt, aut certe probare potuissent (v. inf.). Sed in singulis v. explicandis nec satis accurate versati sunt nec prorsus inter se conveniunt. Quamquam verborum ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς potestas dubito an ullum alium horum interpretum ita fugerit, ut Carpzovium <sup>4)</sup>. Nam si ὁ ad Christi personam refert, quid quaeso aliud de ea illis v. praedicari potest, nisi quod fuerit jam inde ab initio rerum, imo, nam hic quidem eodem redit sententia, jam ante mundum conditum? Ut vero Syrum omittam, qui liberius verba transtulit <sup>5)</sup>, graecorum Patrum interpretatio et aliena in locum invexit nec verborum obscuritati succurrit. Quantum ex Oecumenio video, Theophylacti catena mihi non ad manus est, v. ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς ad τὸν λόγον rettulerunt. Affirmat autem his v. eorum judicio Johannes contra Judaeos et Graecos, Christianorum mysterium (ὅτι ζωὴ αἰώνιος ὢν ἐφανερώθη ἡμῶν) non novum, sed antiquissimum esse <sup>6)</sup>, cujus vero rei in ipsis v.

<sup>4)</sup> V. D. I. c. v. illa ita enarrat: „qui ab initio fuit nobiscum nempe ab initio annunciati evangelii”. Sed praeterquam quod verbis illud „nobiscum” temere obtrusit, qui hoc modo Apostolus ὁ neque vero ὁς adhibuerit nemo dicat. Schoettgen etiam in voc. ἀρχή initium ministerii Christi deprehendit (v. ej. hor. hebr. p. 1053.), sed quaeritur, quomodo reliqua v., de quibus nihil monuit, intellexerit.

<sup>5)</sup> „Annuntiamus vobis illum, qui erat a principio, quem — illum, qui est verbum vitae. vs. 3. Et quod ( ? ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς ) vidimus — .

<sup>6)</sup> Oecum.: Τοῦτο πρὸς Ἰουδαίους κ. πρὸς Ἕλληνας,

nec vola est nec vestigium. V. ἀκούειν de auditu explicarunt per legem et prophetas de Messia venturo accepto et quae jam sequuntur vocc. ὁ non de illo ὃ ἦν, sed de illo ὃ γέγονεν, verba δεῖσθαι autem et ψηλαφᾶν alii proprie, alii metaphoricè intelligere maluerunt 7). Pari fere modo multi posterioris aetatis interpretes, nisi quod verbis δεῖσθαι et ψηλαφᾶν propriam vim vindicarunt. Nec multum negotii iis facessiverunt v. περι τ. λ. τ. ζ., quae ut perspicuitatis causa voc. ὁ notionem afferrent h. m. adjecta esse: de Verbo vitae loquor, scribo, illud intelligo (ita, si recte memini, plerique v. Abr. Calov., Seb. Schmid. al., jam Syro, ut videtur, praeunte) recte statuere sibi videbantur. Ita fere theologi orthodoxi, etsi in singulis non prorsus inter se conveniunt. Sed

οἱ καὶ νεώτερον διαβάλλουσι τὸ καθ' ἡμᾶς μυστήριον. δείκνυσιν οὖν ὡς κ. παλαιὸν τοῦτο. ἀπ' ἀρχῆς γὰρ, τουτέστιν, ἅμα τῇ ἐννοηθείσῃ ἀρχῇ, ἢ οὐ μόνον τοῦ νόμου, ἀλλὰ κ. αὐτῆς τῆς ὁρατῆς ἀνώτερον τοῦτο κτίσεως. ἢ μὲν γὰρ ἀρχὴν ἔσχε, τοῦτο δὲ ἦν κ. πρὸ τῆς ἀρχῆς ταύτης.

7) Oecum.: Τοῦτον οὖν ἐλδόντα μετὰ σώματος ἐμφανῶς εἶδομεν κ. ἐψηλαφήσαμεν· γυμνὸν γὰρ θεὸν οὐδεὶς εἶδρακε πώποτε. οὐ γὰρ ὡς ἔτυχε συγκατεδέμεθα τῷ ὀφθέντι, ἀλλὰ μετὰ πολλὴν ψηλάφησιν, τουτέστι, συζήτησιν τῶν νομικῶν τε κ. προφητικῶν περὶ τούτου μαρτυριῶν, ἐπιστεύσαμεν τῷ ὀφθέντι σαρκὶ λόγῳ· ἢ τὸ, ὃ ἐδεασάμεθα, ἀντὶ τοῦ, ὃ ἰδόντες τοῖς ὀφθαλμοῖς τεδανμάκαμεν. — οὐχ ὃ οὖν ἦν ἐδεασάμεθα ἢ ἐψηλαφήσαμεν· τούτου γὰρ τὴν γενεὰν τίς διηγῆσεται; ἀλλ' ὃ γέγονεν, ἢτοι γνωστικαῖς ἐπακραῖς, ὡς εἴρηται ἤδη, ἢ κ. αἰσθηταῖς, ὡς κ. Θωμᾶς μετὰ τὴν ἀνάστασιν.

haec interpretatio imprimis hoc vitio laborat, quod illam ellipsin linguae leges neutiquam admittunt. Quamquam qui primum eam rejecerunt haud animo libero ut videtur maxime voc. *ὁ* interpretatione offensi aliam plane viam inierunt. Jam altera loci excogitata est explicatio, quae multos nacta est patronos, ita vero, ut fere quisque ei correctionem quandam adhiberet. Nuper autem, cum utraque ratio non prorsus a vero abesse videretur, utramque inter se conciliare studuerunt. Haec vero pluribus.

Sum quidem nescius, quis primum voc. *ὁ* ad evangelium Christi rettulerit et voc. *ἀρχή* initium praeconii evangelici intellexerit, sed jam Faustum Socinum quosdam commemorare video interpretes, qui in hac sententia fuissent. Hic igitur, Socinianorum quasi antesignanus et dux, primus prodeat (v. Biblioth. fratrum Polonorum. T. I. Irenopoli 1656. f. p. 157 squ.), qui cum sibi persuasisset, non Neutro illo *ὁ* Johannem Christi personam indicare potuisse, sed Masculino opus fuisse, vocabula illa eo quo dixi modo, v. autem *ὁ ἔωρ*. — *ἐψηλ*. tropice interpretatus est h. r.: „Quod erat (et videlicet adhuc durat) ab initio, quod —, quod (quasi) — et manibus contrectavimus, (scilicet) de sermone (doctrina) vitae (annuntiamus vobis) — et vita (antehac non patefacta, sed tantum ipsi deo nota, qui illa homines sibi obedientes donare decreverat) — — quod — —.” Nihil profecto hac explicatione falsius. Bene quidem haberet illud *ὁ*, si modo reliqua concinerent, quod idem de vocc. *ἀπ' ἀρχῆς* dicendum. Haec enim cum per se indefinita sint, ex contextis cognoscendum, de quonam principio sermo sit. Ac sane quidem Johannes voc. *ἀρχή* aliis ll. de

eodem fere, quo Socinus vult, principio adhibuit (2, 7. 24. 3, 11. ev. 15, 27. 16, 4. II. ep. v. 5.), sed hic contexta oratio alio nos ducit (v. inf.). Porro v. ὁ λόγος τ. ζ. doctrinam vitae (Phil. 2, 16.) intelligere, quamvis singula paene vs. 1. et 2. v. de ipso λόγῳ dei jubeant cogitare, quinimo τῆς ζωῆς voc. vs. 2. de hac ipsa doctrina antea nonnisi patri nota accipere, verba pervertere hoc quidem est, non enarrare. Denique, ne plura cumulem, Socino aliisque explicatoribus v. ψηλαφᾶν fraudi erat, quod illo modo dici potuisse temere statuebant. Nam cum ψηλαφᾶν, ut μάσσειν (ψιμ, ψψη Gen. 27, 21.) contrectare notet (Luc. 24, 39. Hebr. 12, 18.) itaque notionem quaerendi contrectando facile adsciverit (Hom. Odyss. 9, 416.) <sup>8)</sup>, tropice de rebus obscuris, quae non sub sensu caderent ita usurpari potuit, ut significaret quaerere quasi contrectando aut obscure cognovisse (Act. 17, 27.), at nunquam ψηλαφῆσαι ut nostrum mit Händen gegriffen haben clarissime cognovisse, vidisse declarare potuit, ita ut h. l. Apostolus suo de evāgelio testimonio summam fidem adjecisset. Sed etiamsi recte hanc significationem verbo illi subjiceres, hic quidem ideo locum habere non posset, quod Johannes vocc. ὁ ἔωρ. τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν et αἱ χεῖρες ἐψ. sat manifesto indicavit, se rem, de qua loqueretur, ipsis illis sensibus percepisse.

Socino pejus Jonas Slichtingius <sup>9)</sup> (v. ej. commentaria posthuma in plerosque N. T. libros. Irenop. 1656.

<sup>8)</sup> Audacius Oecum.: ψηλάφησις τουτέστι συζήτησις.

<sup>9)</sup> Socinum secutus est Sam. Crellius in l., quem a. 1726 nomine Artemonii (Initium ev. Joh. restitutum. p. 347.) di-

f. II. p. 369 squ.), qui temere sumsit, Johannem propter exortos falsos prophetas, qui Jesum esse Christum negassent credentibus in Christum id commemorare, quod a principio evangelii fuisset traditum et cujus certissima esset veritas, nempe Jesum esse Christum, filium dei. Hac igitur opinione nisus locum ita enarrat: „quod erat a principio (evangelii), quod audivimus (ab ipso Jesu, imo et ab ejus praecursore baptista), quod vidimus oculis nostris (np. ita se habere), quod spectavimus (in tot tantisque miraculis) et veluti manibus nostris palpavimus de sermone vitae (de Jesu, qui vitam primus annunciavit) — et vita (vitae aeternae promissio) manifestata est (np. a Jesu) et vidimus et testamur (np. manifestatam esse) — quod vidimus et audivimus (np. Jesum esse Christum, filium dei) annunciavimus vobis.” In his cum aliam illud miror, quod sententia, quam v. d. primariam esse voluit, nimirum Jesum esse Christum, ab Johanne ne apice quidem indicata est.

Ad Grotium accedimus, quem socinianam interpretationem magis perdidisse, quam adjuvisse dixerim. Recte quidem arbitratur, voc. ἀρχή idem tempus notari, quod in primis v. ev. Joh. et Genes., nec v. ὁρᾶν, δεῖσθαι et ψηλαφᾶν metaphorice intellexit, sed novos errores eo incurrit, quod voc. ὅ in universum eas res intellexit, quas apostoli sensibus suis percepissent Johannemque contra eos, qui evangelii doctrinam novitatis accusassent, disputantem v. ὅ ἦν ἀπ' ἀρχῆς significare existimavit, illas res a deo jam

---

vulgavit, sed cum hic liber mihi non praesto sit, nescio, an socinianam explicationem paullo immutaverit.

ab ipso mundi primordio destinatas fuisse et ab eo tempore multis umbris praefiguratas multisque vaticiniis praedictas. In tanta voc. ὁ ambiguitate verbis ὄραν, δεῖσθαι et ψηλαφᾶν jure sibi propriam vim vindicare videbatur. Permiram hanc magni interpretis interpretationem ne multis aggrediar, tria afferam. Primum enim ratio exigit, ut qui ἀρχὴν primordium mundi esse vult cl. II. Joh. 1, 1. Gen. 1, 1. etiam ὁ nonnisi de λόγῳ dei enarret eoque magis, quod v. ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς per se nunquam significare possunt: quod erat ab initio mundi *destinatum*. Imo haec sententia aut clarioribus v. enuntianda, aut contextus ita comparatus esse debet, ut de ea nihil haesites. Deinde pro arbitrio sumsit, Johannem ei objectioni occurrere, quam nullibi in hac epistola non dico impugnavit, sed ne commemoravit quidem<sup>10)</sup>. Denique ut recte v. ὁ — περὶ τ. λόγ. τ. ζ. quod — de verbo (doctrina) vitae explanares et per contexta v. eas intelligeres res, quas apostoli sensibus suis percepissent, bene quidem haberent v. ἀκούειν, ὄραν et δεῖσθαι, non aequae ψηλαφᾶν, quod nisi ad solam Christi personam refers, me quidem judice nec rationem habet neque explicatum. Illa vero inita ratione ita explicari omnino non potest. Pulchre hoc Grotius

---

<sup>10)</sup> Luecke l. l. p. 112. eo Grotium refutavit, quod istam evangelii reprehensionem a Graecis profectam aetas apostolica non cepisset. At *Graecos* evangelium novitatis accusasse non dixit Grotius et si dixisset, mihi quidem non ideo reprehendendus videretur. Facile enim erat illud opprobrium, quod Judaei et Graeci in evangelium conjicerent v. Marc. 1, 27. Act. 17, 19.

perspexit, sed difficultatem v. αὐτὸς ἡμεῖς ἐψηλ. laud sane feliciter de medio sustulit his v.: „tertium sensum adjicit tactum. Nam is quoque intervenit, tum alibi, tum in panibus multiplicatis et in Lazaro.” Voc. τῆς ζωῆς vs. 2. vitam aeternam intellexit, quae in decretis dei diu latuisset et Christi exemplo nobis perspicua esset facta cl. I. II. Tim. 1, 10. <sup>11)</sup>

Socini explicationem paullo tantum immutavit J. Sal. Semler, magnum quondam lumen almae academiae Fridericianae. Hic enim (v. ej. paraphrasin in I. Joh. ep. cum prolegomenis et animadversionibus. Rigae 1792. p. 73 squ.) tum eo, quod aures, oculi et manus apostolorum non convenirent aeternae deitati in Christo, quocum vixissent, inveniendae tum aliis ductus rationibus, omnino de iis rebus hic sermonem esse statuit, quae ad historiam et doctrinam Jesu Christi unice pertinerent h. m.: „Quod inde ab initio novae religionis (ab illo inde tempore, quo Jesus initium fecit novarum rerum, publico ipse munere docendi jam usus, post baptismum v. Joh. 15, 27.) ab ipso Christo confirmatum fuit et proditum (Ἰησοῦν Χὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι al. Hebr. 6, 1. Act. 1, 1. Luc. 1, 1.) — vidimus (mente ἐδεασ. cl. I. Joh. 1, 14.) et manibus quasi contrectavimus (Respicit auctor hic maxime ad hanc partem: Christus, Messias, ἐν σαρκὶ jam-jam ἐλήλυθεν) de doctrina verae felicitatis. Certo enim manifestata est haec doctrina antea ignota.”

<sup>11)</sup> A. Grotio Henr. Hammondus eo distat, quod v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ. vs. 1., ἡ ζ. vs. 2. de Christo ejusque evangelio intellexit, sed quod sane mireris v. τὴν ζ. τ. αἰών. — , ad solum Christum referri maluit.

Sed ne superius dicta repetam, Johanni h. r. multo aliter dicendum erat. Neque enim ex v. ὃ ἦν ἀπ' ἀ. περὶ τ. λόγ. τ. ζ. illam eruas sententiam et vaga Semleri interpretatio v. χεῖρες ἡ. ἐψηλ. vehementer claudicat.

Ab his, quos hucusque memoravi valde discrepat Sam. Theoph. Lange (Die Schriften Johannis übersetzt und erklärt. Th. 3. Weimar 1797. p. 42 squ.), qui recte quidem v. περὶ τ. λ. τ. ζ. vs. 1. et ἡ ζ. vs. 2. de Jesu Christo intellexit, sed cum vs. 1. ita explanaret: quod domino nostro, verbo illi vitae, inde ab initio (muneris ejus docendi) evenit, quod — et manibus quasi contrectavimus —. eo maxime peccavit, quod ψηλ. tropice intellexit et verbo ἦν significationem v. ἐγένετο tribuit, II. Matth. 24, 3. Marc. 11, 23. 24. perperam collatis. Sane vero cognata est notio v. εἶναι et γίνεσθαι atque ideo uno eodemque l. hoc illudve levissimo discrimine adhibere licet, ut illis II. (πότε ἔσται quando erit, locum habebit, π. γενήσεται quando fiet, eveniet), sed non ubique. Oratio contexta consulenda. Hoc autem l. ut recte v. ὃ ἦν ἀπ' ἀ. περὶ τ. λ. τ. ζ. consociares, per contexta neutquam liceret a propria vi v. ἦν recedere.

His disputatis satis opinor perspicuum est, neutram interpretationem, quomocunque inflexam verbis Apostoli ita ut velles respondere. Nec fugit nonnullos viros dd., qui loco ita medicinam afferre studuerunt, ut utramque rationem inter se conciliarent et ὄ ad personam, historiam et doctrinam Jesu Christi referrent. Ita v. c. Morus. Hanc viam ingressus quae priores interpretes inchoata reliquissent Luecke l. l. p. 116. 117. ita persecutus est, ut et accurate enu-

cleasse sibi videatur, quomodo singula v. haberent et perspicue docuisse, cur Johannes ut tum animo esset affectus illo modo scripsisset. Haec vero Viri D. est disputatio. Cum Johannes scribendi initium faceret, apostolici sui praeconii, cujus fundamentum et argumentum Christus esset, qui vere homo apparuisset vitamque cum hominibus communicasset, scopus vero hominum communio fide deo et filio habenda inter se conjunctorum, quam maxime sibi conscius fuit. Jam cum haec omnia simul animo complecteretur, primo quidem notionem evangelii, quod ipsa sua experientia edoctus praedicaret, breviter enuntiaturus, hac notione personam Christi, manifestati Verbi, cum tota ejus historia et effectu mente ita copulavit, ut non ὁς ἦν ἀ. ἀ. scriberet, sed ὃ ἦν ἀ. ἀ., quippe quae latius paterent. Sed statim ei persona Christi, cardinis quasi totius evangelii magis obversatur ideoque usque ad v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ., quibus denuo magis ad evangelii notionem accedit, ita scribit, quasi ὁς ἦν ἀ. ἀ. exarasset. Jam v. κ. ἡ ζ. ἐφαν. adjiciuntur, ut intelligatur, quo apostolicum nitatur de λόγῳ τ. ζ. testimonium. Ut vero notio praeconii apostolici absolvatur v. ἐωρ. jam perspicuum repetitur reliquaue vs. 2. v. adduntur, quibus apodosis (quoad sententiam) inchoatur. Haec autem ut omnino enuntietur priora vs. 3. v. adjiciuntur. His omnibus, quae primo animum Apostoli commovebant, dictis oratio jam sedata lenius fluit <sup>12)</sup>.

<sup>12)</sup> Lueckii vestigia secutus C. Rickli (Johannis erster Brief erklärt und angewendet in Predigten. Luzern 1828. app. p. 5.) v. ὃ ἦν non solum ad doctrinam, sed in universum ad

Haec loci explanatio nescio quanti ab aliis aestimetur, mihi quidem vehementer laborare videtur. Etenim jam eo prorsus conficitur, quod ea probata tanta Johannes usus est obscuritate, imo tanta animi perturbatione et confusione, ut in eo interpretando male studium et operam consumeres. Scripserit animo excitato, sed haud dubie sciebat, quid scriberet. Itaque res diversissimas uno eodemque vocabulo significare, adjicere vero, quae modo huic modo illi rei competere, denique ebrii instar huc illuc fluctuare profecto non potuit. Sed fac v. ὁ ἦν ἁ. ἁ. et περι τ. λ. τ. ζ. dicta esse ambiguae. Ambiguitas autem verbis tum demum recte subjici potest, si rerum, ad quas referenda sunt, notionem omnino complectuntur nec fieri potest, ut alia nonnisi ad hanc, alia ad illam quadrent rem. At hoc in v. ὁ ἦν ἁ. ἁ. secus est, quorum priora (ὁ ἦν) de doctrina dici poterant, nec

---

omnia, quae Jesum, utpote qui apparuisset attingerent (— auf das Ganze der Erscheinung Jesu —), v. ἀρχ. autem ad initium evangelii cl. II. Joh. 15, 27. Luc. 1, 2. rettulit. Omnino vero tribus prioribus vss. contra pseudo-doctores affirmari, quam verum et incontaminatum praeconium esset apostolicum. Hoc enim eo niti, quod apostoli Jesum hominem (— nach seiner äußern Erscheinung —) ipsis suis sensibus (vs. 1.) et internam ejus majestatem (— nach seiner geistigen Größe —) mente percepissent (vs. 2.), ex summo autem proficisci amore, quo apostoli fratres amplecterentur (vs. 3.). Nova sane interpretatio, quam Viro D. in mentem venire potuisse miror. Qui tandem, nisi extrema grassaris vi, ex vs. 1—3. illam sententiam eruere potes? Ceterum v. quae contra Lueckium dicturus sum.

vero posteriora, siquidem ἀρχή, ut supra jam innui et infra pluribus probabo, mundi principium indicat<sup>43</sup>). Quid vero, quod Luecke ipse ἀρχήν ita explicat? Quamobrem v. ὁ ἦν ἀ. ἀ. non nisi de Verbo

<sup>43</sup>) Atvero aliter visum est Crednero, qui in elegantissimo libro nuperrime edito (Einleitung in d. N. T. Halle 1836.) I. p. 680. squ. plura de hac Johannis epistola disputavit, quibus calculum addere nequeo. Nunc vero non nisi ea delibabo, quae ad hunc locum, de quo Vir Eximius pro libri sui instituto pauca tantum disseruit, pertinent. Et Crednero iudice statim ab initio epistolae affirmat Apostolus lectoribus, praeconium suum non diversum esse ab illa dei revelatione, quae primo homini contigisset (1, 1. [2, 7—17. 24. 3, 10 squ.]), nec nisi, nisi rebus, quibus testis oculatus ipse interfuisset (1, 1—4. [4, 14.]) cf. l. l. p. 685. cl. p. 680. Sane quidem Johannes his verss. inculcat, se testem esse rerum christianarum oculatum, sed notionem primae illius revelationis aequè minus deprehendo ac quomodo V. D. totum l. explicuerit perspicio. Addidit tantummodo, omnia pendere a vero v. ἀπ' ἀρχῆς intellectu, quae II. 1, 1. 2, 7. 13. 14. 24. 3, 8. 11. diversam sententiam continere non possent (Sed hanc opinionem, quae Viro D. in pluribus hujus ep. II. fraudi erat, jam supra dilui.) et manifesto verbis εἶν ἀρχῆ Joh. 1, 1. responderent. Jam memorat notum illud Ebionitarum decretum de primitiva dei revelatione, quasi idem in hoc l. Johannes nobis propinasset (νόμον αἰώνιον Clem. homil. 8, 10. esse νόμον ἀπ' ἀρχῆς 1 Joh. 2, 7.) et hujusmodi quid jam veteres interpretes hic deprehendisse observat. Hinc, si quid video, v. ὁ ἦν ἀπ' ἀ. de doctrina christiana enarravit. Verum perperam veteres illos interpretes in auxilium vocavit, qui cum ὁ τὸ κατ' ἡμᾶς μυστήριον esse dicerent, solam τοῦ λόγου personam intellexerunt (v. s.). Magis miror, quod Johanni ebioniticam illam opinionem, quae paucorum erat ho-

divino possunt intelligi. Nec minus miror, quod V. D. v. *περὶ λ. τ. ζ.* fluctuantem Apostolum magis ad evangelii notionem accessisse opinatus est. Verissime haec v. l. Joh. 1, 1 — 4. explicavit, sed qui tandem in iis vel levissima quaeri potest evangelii significatio, cum et praegressa et statim sequentia solam Verbi divini notionem complectantur? Denique, ut me contineam, hoc unum addo, verborum *περὶ τ. λ. τ. ζ.* nullam redditam esse rationem.

Sed ne diutius et ambitiosius in impugnandis viris doctis versatus esse videar, tempus jam est, ut vixatissimum hunc locum mea qualicumque opera colustrem. Nec vero de sententia verborum *ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς* ullo modo licet dubitare, quae de Christi persona intelligenda esse solis luce est clarius. Dudum enim verissime intellectum, magnam inter prooemium evangelii Johannei et primos hujus epistolae versus intercedere similitudinem. Ibi docte Apostolus de Christi indole et natura exposuit, hic paucis tantum verbis ea lectoribus in mentem revocat, quae jam antea hac ipsa de re acceperant. Obscurius igitur hic locutus est et pro diverso consilio et tempore alia adjecit, alia paullo immutavit. Ex quibus duo efficiuntur, unum ut *ὁ* notionem *τοῦ λόγου* complectatur, alterum ut quae Johannis doctrinā hic quodammodo velis obtecta est prooemio illo lucem accipiat. Prae-

---

minum, tribuit. Non disputo jam, quam facile ea oriri poterit, sed loca expeto, ex quibus Johannem ita statuisse emergat. Illud vero certissimum, II. I. Joh. 1, 1. 2, 7. 8., si modo non misere torquentur, nihil hujusmodi continere. (v. inf.)

terea vero alia etiam accedunt, quae illam explicationem non dico commendant, sed flagitant. Sive enim v. ὁ ἔωρ. τ. ὁφθ. ἤμ. — κ. αἱ γ. ἦ. ἐψηλ. intueris, quippe quae non possint nisi ad rem vel personam referri, quae sub sensus cadit oculisque et manibus potest usurpari, sive ad v. περὶ τ. λόγ. τ. ζ., κ. ἦ ζ. ἐφ. κ. ἔωρ. et ἥτις ἦν πρὸς τ. πατέρα κ. ἐφραν. ἡμῶν respicis, de persona hic agi existimes necesse est, quae antea occulta se post in hominum conspectum dederit. Adde denique, quod verborum ornatus hic altius quid quaerendum suadet quodque ὁ λόγος, qui sane in ev. Joh. ἐν ἀρχῇ dicitur fuisse, in hac ipsa epistola 2, 13. 14. ipsis vocc. ὁ ἀπ' ἀρχῆς notatur. Sed quamvis haec omnia recte disputata esse fatearis, quaerere tamen licet, cur Johannes ὁ et ἀπ' ἀρχῆς scribere maluerit, quam ὅς et ἐν ἀρχῇ, quo denique consilio his verbis epistolam suam inchoarit.

Mirari licet, quod illud ὁ viros doctos tantopere offendit et lusit. Nam cum scriptores saepissime Neutro genere unam pluresve personas ita significant, ut aut universali notione sententiae vim acuunt (cf. 5, 4. Joh. 3, 6. Hebr. 7, 7. [Horat. Sat. I. 3, 18. Nil fuit unquam sic impar sibi]) aut notionem ex contextis nemini ignotam in universum innuant (cf. Matth. 1, 20. Luc. 1, 35. I. Cor. 1, 27. 28. II. Thessal. 2, 6.), non sane video, quid in vocula ὁ haereas, qua universali notione quid indicatum sit per adjecta verba satis est perspicuum. Cur vero hoc modo scribere maluerint in singulis locis fere ratio reddi potest probabilis, quae hic quidem nullum fugere debebat interpretem. Praeterquam enim quod illud ο

orationis sublimitati, cui Johannes h. l. studuit, perquam erat accommodatum, effecit etiam concinnitatem orationis verborumque conclusionem cf.  $\delta - \delta - \delta - \delta - 14$ ). De v.  $\acute{\alpha}\pi' \acute{\alpha}\rho\chi\eta\varsigma$  magnopere titubatum. Alii enim cum  $\acute{\alpha}\pi' \acute{\alpha}$ . et  $\acute{\epsilon}\nu \acute{\alpha}$ . utique inter se convenire dictitarent II. Matth. 19, 4. 8. perperam cl., alii hoc quidem I.  $\acute{\alpha}\pi' \acute{\alpha}\rho\chi$ . omnino diversum esse contenderunt, pauci utriusque generis dicendi diversitatem utcumque assecuti sunt. Magnum profecto discrimen est, utrum  $\acute{\alpha}\pi' \acute{\alpha}$ . an  $\acute{\epsilon}\nu \acute{\alpha}$ . dicas, quamquam interdum de una eademque re utrumque adhiberi licet, non quo summa commutetur sententia, ita vero, ut si hoc illudve adhibueris sententia paullo aliter animo informata sit, id quod in hunc cadit locum. Johannem illis II. voc.  $\acute{\alpha}\rho\chi\eta$  mundi initium indicasse non minus certum est, quam quod fuisse Christum jam ante mundum conditum docuit (cf. Joh. 17, 5.), unde sequitur, v.  $\delta$   $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma \eta\tilde{\nu} \acute{\epsilon}\nu \acute{\alpha}\rho\chi\eta$  et  $\acute{\alpha}\pi' \acute{\alpha}\rho\chi\eta\varsigma$  non ita explicari posse, ut huic sententiae Johanneae repugnent. Jam vero  $\acute{\epsilon}\nu \acute{\alpha}\rho\chi\eta$ , quod plane respondet nostro im, beim *Anfange*, minus est definitum et pro contextis latius patere potest. Sic aequè recte dicas  $\acute{\epsilon}\nu \acute{\alpha}$ .  $\acute{\epsilon}\pi\omicron\iota\eta\sigma\epsilon\nu \delta \theta\epsilon\omicron\varsigma \tau\omicron\nu\nu \omicron\nu\rho\rho\rho\nu\nu \kappa\alpha\iota \tau\eta\nu \gamma\eta\nu$  atque  $\acute{\epsilon}\nu \acute{\alpha}$ .  $\acute{\epsilon}\pi\lambda\alpha\sigma\epsilon\nu$

14) Qui voc.  $\delta$  Verbum divinum intellexerunt interpretes per usitatam generum commutationem Neutrum pro Masculino usurpatum esse perhibuerunt vel etiam dogmaticas argutias hic quaesiverunt. Sic Henr. Bullinger „Christum, inquit, sine nomine insinuat, quod hominibus divina natura sit ineffabilis nomineque careat.” Contra de Abr. Calovii, J. Christoph. Wolfii al. sententia voc.  $\delta$  indicatur, in Christo esse  $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron$  κ.  $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron$ , non  $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\nu$  κ.  $\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\nu$ .

ὁ δ. τὸν Ἀδὰμ κ. τὴν Ἐυαν. Ὁ λόγος autem si jam ἐν ἄ. ἦν (erat, non ὑπέστη), dicitur tantummodo tum fuisse. Potuit ἐν ἄ., potuit vero etiam jam antea existere; hoc non illa v. declarant, sed ex contextu vel aliunde cognoscendum. Hoc vero l. quid scriptor voluerit ex vs. 3. perspicitur. Sed ni fallor quaesitum, cur Johannes non scribere maluisset πρὸ τῆς ἀρχῆς vel simile quid. Quod curiosius faciunt, quamquam haud difficilis est responsio. Cum enim ἡ ἀρχή ultimus finis et terminus sit, quo tempus et spatium circumscribuntur, ab hoc ipso profecti sunt, qui non philosopha subtilitate, sed ad populi captum loquebantur accomodate, ut captui populari satisfacerent et quae esset τοῦ λόγου origo et natura quodammodo posset perspicui. Quid enim, si jam tum erat? Ἀπ' ἀρχῆς multo est definitius, quandoquidem terminum accurate definit, a quo quid fuerit, quamquam non ubique haec est scriptoris mens, quasi ab illo ipso tempore quidquam fuerit nec jam ante esse potuerit. Oratio contexta consulenda. Fieri enim potest, ut scriptor tum quidem satis habeat, illum ipsum terminum, a quo quid fuerit, cum vi indicare, cum jam antea illud fuisse nemo nesciat<sup>15)</sup>. Ita hoc prorsus l., quo Johannes hanc ipsam ob causam, quam supra memoravi, ab initio mundi profectus τὸν λόγον ab illo initio fuisse asserit, non quo illum jam antea fuisse neget, sed quia loquitur ad populi captum accomodate. Neque obscuritatem loco obduxit, cum quid sibi vellet nulli latere posset lectori, quamquam si

<sup>15)</sup> Haec pari modo ad vocc. ἕως, μέχρι, ἄχρι et quae hujus sunt generis accommodanda.

qua est hujusmodi in locis ambiguitas non tam scriptor eam effecit, quam res ipsa. Cf. II. Thess. 2, 13. — *εἶλατο ὑμᾶς ὁ ὁ. ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν* — . Quae si recte disseruimus, v. *ἐν ᾧ*. et *ἀπ' ᾧ*. in locis illis Johanneis sententia conveniunt, significatione differunt neque anxie quaerendum, cur h. l. *ἀπ' ᾧ*. scriptum sit. Nam cum duo verba aeque bene poni poterant, raro docebis, cur hoc illudve scriptor collocare maluerit. His dictis jam est perspicuum, Johannem animo commoto elatius dicendi genus secutum v. *ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς* (Welches Wesen vom Anfange an war) epistolam inchoasse. Sane quidem non utique opus erat hac sententia et ei satius videri poterat dixisse, ea se lectoribus de Christo nuntiari, quae ipse sensibus suis percepisset. Sed illa v. ei orationi, quam sectabatur maxime erant accommodata, quae cum ei, uti esset affectus, facile sese obtulissent eo libentius propter lectores posuit, quos statim ab initio epistolae de magnitudine Christi monerent.

Ut quae sequuntur vs. 1. verba, quorum genuinam vim nullus quod sciam interpretes hucusque satis assecutus est, recte intelligas, primum de notione vocc. *ὁ* et quo vinculo v. *περὶ τ. λόγ. τ. ζ.* cum antecedentibus contineantur disquirendum. His recte constitutis reliqua intellectu sunt facillima. Omnino v. *ὁ ἀκηκ.* — — *περὶ τ. λ. τ. ζ.* artissime copulanda. Jam nisi antegressis v. te decipi passus es, in oculis *ὁ* non nisi universalem notionem *quod*, quae sequentibus v. accuratius constituitur, deprehendere potes, duabus maxime de causis. Quidquid enim de v. *περὶ τ. λ. τ. ζ.* statuendum, illud perspicitur, ea explicandi causa ita adjecta esse, ut quo illud *ὁ* referendum esset in-

telligeretur. Praeterea vero illam notionem expetit apodosis vs. 3. Licuit quidem dicere ἀπαγγέλλομεν τὸν λόγον, τὸν Χόν, sed multo erat proclivius ita disputare: ἀπαγγ. ὃ — περὶ τ. λ. τ. ζ., idque hic locum habere ipsa v. περὶ τ. λ. τ. ζ. argumento sunt, quae alioquin nullum habent explicatum. Quae si recte disputavi, tantum abest, ut v. ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς offendi liceat, ut nunc demum appareat, cur Johannes haec v. illa, qua dixi, ratione praemiserit. V. περὶ τ. λ. τ. ζ. fere semper explicatoribus negotium creantur. Sed vocc. ὃ illo modo explicatis Apostolum, cui accuratius ita dicendum erat: ὃ ἀκηκ. περὶ τ. λ. τ. ζ., ὃ ἔωρ. — — τούτου τοῦ λόγου, aut concinnius ὃ ἀκ. — — ἐψηλ. τοῦ λ. τ. ζ., v. περὶ τ. λ. τ. ζ. licet in fine protasis collocata non verbis ὃ ἔωρ. — — ἐψηλ., sed primo verbo ἀκηκ. aptasse tam est perspicuum, quam quod maxime. Itaque v. ὃ ἔωρ. — ἐψηλ. διὰ μέσου posita sunt, quae dicendi ratio apud Graecos usu venit saepius cf. Eurip. Hecub. ed. Herm. 689. ὧ μοι, αἰαῖ, ἔμαδον ἐνυπνον ὀμμάτων | ἐμῶν ὄψιν. οὐδὲ παρέβα με φά- | σμα μελανόπτερον, ἂν ἐσεῖδον ἀμφὶ σ', | ὧ τέκνον, οὐκέτ' ὄντα Διὸς ἐν φάει. Alia hujusmodi attulit carissimus frater Franc. Volekmar. F. Quaest. Lucian. p. 176. Hoc autem I. Johannes illa v. ideó ad ἀκηκ. accommodavit, quod hoc verbum utpote primarium memoria tenebat et sequentia v. eo tantum adjecerat consilio, ut quantum esset suum testimonium, qui ipse rebus christianis testis oculatus interfuisset, graviter enuntiaret et lectoribus quasi ob oculos collocaret. Τὸν λόγον hic ut Joh. 1, 1. Christum dici jam supra satis comprobavi, nec quid adjectus Genitivus τῆς ζωῆς sibi velit

obscurum. Non male vetus interpres apud Matthaecium τ. ζωῆς] τῆς αὐτοζωῆς, τῆς πηγαζούσης τὸ ζῆν. Potest enim aliquis duplici modo tropice ἢ ζ. dici, quia nimirum vitam, quae indicatur quam maxime habeat aut aliis impertiat, quorum quid quovis l. significetur ex contextis cognoscendam, quamquam utrumque ita conjunctum esse potest, ut quo maxime singulis in ll. scriptor respexerit satis sit indicasse. Christus vero, qui vitam vere vitalem, vitam aeternam quam maxime continuit eamque jam inde a mundo condito cum hominibus communicavit (v. Joh. 1, 5. 9. 10.) potuit quidem utraque ratione ἢ ζωὴ appellari, sed ut se ipse τὴν ζωὴν Joh. 11, 25. 14, 6., τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς 6, 35. 48. cl. vss. 27. 33. 34. 51., τὸ φῶς τ. ζωῆς 8, 12. (cl. ll. Luc. 2, 32. Joh. 1, 9. 9, 5.), quippe qui vitam hominibus suppeditaret, nuncupavit parique modo ab Johanne 1, 4. ἢ ζωὴ dicitur (Coloss. 3, 4.), ita h. etiam l. Christum τὸν λόγ. τ. ζ. et τὴν ζ. ideo dici consentaneum est, quia vitae fons et dator hominibus exstitit. Accedit, quod hic quidem ὁ λόγος non tam is describendus erat, qui vitam illam complexus esset, quam qui hominibus eam impertiret. Quare enarra: de Verbo vitae (vitam praebente, vitae fonte), vita (vitae fons) nimirum — ὁ ἀκηκόαμεν] quod audivimus de Verbo vitae; explicationis causa adjiciunt alii „ex prophetis”, alii „a Johanne baptista”, vulgo (v. s.) „Dominum ipsum docentem.” Sed eorum sententia, qui ad prophetas respiciunt, ideo stare non potest, quia Apostolus ea intellexit, quae ipse usu expertus est v. squ. Omnino cum sententiam universe enuntiaverit, non quaerendum, quae singula maxime innuerit. Imo omnia com-

prehendit, quae fide quippe dignissima sive ab Johanne baptista, sive a Domino ipso, sive denique ab aliis audiverat. Cum vero hic et vss. statim sequentibus prima Pluralis usus sit persona, quaesitum, utrum se solum intellectum voluerit, an alios praeterea testes oculatos innuerit. (Beza) Vulgo posterius ita probant, ut ad reliquos etiam apostolos respexerit, pauci (Slichting., Lange) prius amplexi sunt. Hi quidem verissime. Nihil enim hujusmodi Plurali, quo scriptor se solum significat, usitatus est et frequentius parique modo Johannem hic locutum esse, ut historicas omittam rationes, verba *γράφομεν* (vs. 4.), *ἀκηκ. κ. ἀναγγέλλομεν* (vs. 5.) gravissimo sunt argumento. Nam his haud dubie se solum significavit neque vero ullo modo indicavit, haec aliter dicta esse atque antecedentia verba, quod utique necessarium fuisset. ὁ ἕωρ. — — ἐψηλ.] quod vidimus oculis nostris, quod contemplati sumus et manus nostrae contrectarunt. In his v., quibus egregie describitur, Apostolum testem oculatum res christianas ipsis suis sensibus percepisse, gradatio inest, quae paucos praeteriit explicatores. Verbo *ἀκούειν* gravius est *ὄραν τ. ὄφθ.*, hoc gravius *δεᾶσθαι*, gravissimum vero *ταῖς χερσὶ ψηλαφᾶν*<sup>16)</sup>. De v. *δεᾶσθαι* paucioribus, quam velles, absolvit J. A. Henr. Tittmann (De synonymis in N. T. l. I. Lips. 1829. p. 120. 121.), qui *δεᾶσθαι* et *δεωρεῖν*

<sup>16)</sup> Attulerunt viri dd. Il. Joh. 20, 20. 27. Luc. 24, 39. Sed nihil hujusmodi locis opus est; an probandum, Johannem, amatissimum et *ἐπιστήδιον* Christi discipulum, Dominum suum manibus contrectasse?

plerumque poni observat, quum studium videndi et contemplandi cogitandum sit. Omnino *δεᾶσθαι*, quod a Graecis saepissime de spectaculis dictum est (*δέα*, *δέαμα*, *δέατρον* al.) et nostro *schauen*, *beschauen* prorsus respondet, attente videre, contemplari notat (Matth. 22, 11. Luc. 5, 27.) ideoque in iis locis poni solitum est, in quibus oratio augustius quid redolebat cf. Matth. 11, 7. Luc. 7, 24. Act. 1, 11. Joh. 1, 14. 32. 4, 35. ep. I. 1, 1. 4, 12. 14. Sed neque in his neque in aliis locis propriam suam et genuinam vim prorsus amisit, quamquam per contexta hanc illamve notionem adjunctam habere potest<sup>17)</sup>. Male antesteris hujusmodi loca Marc. 16, 11. 14. Joh. 1, 38. 6, 5. 8, 10. 11, 45. Act. 21, 27. 22, 9., in quibus non nego quidem aliter dici potuisse, ita tamen, ut sententiae paullo aliter animo conceptae essent. Imo scriptores graviori et augustiori verbo gravius loqui maluerunt. Nec denique locus in ep. ad Rom. 15, 24. me offendit: *ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν, ἐλπίζω διαπορευόμενος δεᾶσασθαι ὑμᾶς κ. ὑφ' ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ, ἐὰν ὑμῶν πρῶτον ἀπὸ μέρους ἐμπλησθῶ*, quem Tittmann l. l. perperam ita explicat: „Paulus non dicit tantum, se eos visurum, sed res eorum diligenter inspecturum esse.” Ubi tandem hoc dicit? Contra praetereuntem tantum se eos venturum scribit et abiturum, cum ex parte eorum consuetudine satiatus fuerit. Sed bene habet *δεᾶσθαι* in hujusmodi locis, si modo memineris, Graecos

17) Oecum. *δεᾶσθαι ἐστὶ τὸ μετὰ θαύματος καὶ δάμβους ὄραν*. Male. Neque enim per sese hanc vim habet, sed hic illic per adjecta verba accepit, ut Matth. 6, 1. 23, 5.

saepissime aliter ac nos notiones animo esse complexos. Ita aliquem convenire utrique verbis aliquem videre expresserunt, nisi quod Germani lenius videndi, Graeci gravius contemplandi verbum adhibere maluerunt.

Jam sententia vs. 1. inchoata vs. 2. intercipitur. Quum enim Apostolus dixisset, se Verbum vitae vidisse, contemplatum esse, quin adeo manibus contrectasse, quaeri sane poterat, qui tandem Verbum illud sensibus potuisset percipi. Omni igitur obscuritati, qua illa verba laborare videntur, ita occurrit, ut Verbum vitae apparuisse asseveret seque illud ipsum vidisse, quod jam lectoribus suis praedicet. Est autem manifestum, Johannem suam mentem brevius ita fere declarare potuisse: καὶ ἡ ζωὴ, ἣτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, ἐφανερώσθη ἡμῖν, sed veritus, ne prave intelligeretur, multo pluribus usus est verbis nonnullaque adjecit, quae Lueckium offendisse nollem. Bene habent omnia. Καὶ explicat, ut sexcenties: nimirum. Φανεροῦσθαι se manifestum reddere, se conspiciendum praebere, apparere notat. De Christo tum ideo usurpatur, quod carne indutus homo apparuit cf. I. Joh. 1, 2. 3, 5. 8. (4, 2.), I. Tim. 3, 16. I. Petr. 1, 20., tum quod aliquando ultimis temporibus iterum veniet cf. I. Joh. 2, 28. Coloss. 3, 4., tum quod post resurrectionem discipulis se conspiciendum praebuit cf. Marc. 16, 12. 14. Joh. 21, 14. 1. ἐωράκαμεν] ὁ ἑωρ. B. 40. Haec lectio nec verborum complexionem faciliorem reddit (utique enim langueret haec oratio: vita enim apparuit et quod vidimus, illud etiam testamur et nunciamus vobis hanc vitam aeternam; quin perplexa esset, cum illud ὁ sententiam universalem

afferret, quae ab h. l. prorsus aliena est, neque cur μαρτυροῦμεν cum vi dictum esset perspiceretur. Quamquam v. τὴν ζ. τ. αἰών. satis magno sunt argumento, v. ἔωρ. κ. μαρτ. nonnisi ad ἡ ζ. posse respicere.), neque correctionem sapit (Luecke l. l. p. 119. 120.), sed manifestus scribarum est error, quibus vs. l. fraudi erat. Nec magis Lueckium probare possum, qui multo simpliciore eam rationem esse existimat, qua v. κ. ἔωρ. κ. μαρτυρ. ad v. τὴν ζ. τ. αἰών. referuntur, quam si ex praegressis ἡ ζωή ea mente repetis, quae illa verba expetunt. Nihil dubitandum, quin v. κ. ἔωρ. κ. μαρτυρ. cum antecedentibus arctissime jungenda sint, in quibus neminem facile breviloquentia usitatissima male habebit, qua ad ἔωρ. αὐτήν et ad μαρτυρ. περὶ αὐτῆς mente addenda sunt. Verba autem κ. ἀπαγγ. ὁ. τ. ζ. τ. αἰών. sui juris sunt, quae cum v. μαρτυρ. effecisset denuo cum vi inculcandum videbatur, de quam vita sermo esset. Si ὅστις ad certam quandam antea memoratam rem refertur modo leviorum explicandi, modo, ut hic (quippe quae) Rom. 1, 25. 2, 15. 6, 2 al., graviorum causae et rationis vim habet. Jam v. ἦτις — — ἡμῶν arcte consocianda, quae causam reddunt, cur jam liceat vitam illam, quae aeterna sit, annuntiare. Quippe vita illa apud patrem erat, sed nobis apparuit. (das ja bei dem Vater war, aber uns erschienen ist) τὴν τ. ζ. αἰών.] Calvinus: „non dubito, quin de effectu loquatur, nempe quod annuntiet, beneficio Christi partam nobis esse vitam.“ Sed si hanc inieris explicationem: annuntiamus vobis vitam aeternam, quippe quae (priusquam Verbum homo apparuisset) apud patrem esset et mihi (per Verbum,

quod vitam aeternam manifestavit) apparuerit (ita ut eam jam possim praedicare), vereor, ne alienam prorsus loco obtruseris sententiam. Imo per contextum (attende etiam ad Articulum τὴν ζ. τ. αἰ.) Christus ipse intelligendus, qui jam non ἡ ζ., sed ἡ ζ. ἡ αἰών. ideo credo dicitur, quia notio τῆς ζ. clarius efferenda videbatur, h. m.: — hanc vitam (vitae fontem) aeternam (diese ewige Lebensquelle). Nam cum ἡ ζ. h. l. Christi notionem in universum complectatur, v. s. ἡ ζ., adjectum voc. αἰών. eam magis definiat necesse est nec potest statui, Christum τὴν ζ. τ. αἰών. utpote aeternae vitae auctorem dici. Non negamus equidem, hoc per se recte fieri posse, sed nostram explicationem cum antecedentia commendant, tum sequentia flagitant, quibus cur aeternum illum jam annuntiare liceat exponitur. His dictis nihil puto hoc versu clarius magisque est perspicuum. Johannes enim explicaturus, qui ὁ λ. τ. ζ. sub sensu ceciderit ita disputat: vita (vitae fons) enim apparuit (quae cum verborum ὁ ἔωρ. — — π. τ. λ. τ. ζ. explicandorum causa dicta essent se ipse magis explanans adjecit) et vidimus (eam. Sed quam ita inchoarat sententiam eum ulterius prosequi in proclivi erat, cum praesertim ejus animo praegressorum apodosi obversaretur. Itaque addidit) et testamur (de ea) et annuntiamus vobis vitam illam aeternam (sed qui tandem?), quippe quae apud patrem esset, nobis vero apparuerit. Jam dixerat, quae hic dicenda erant, vel potius dici poterant et interceptam sententiam texere perrexit. Lueckio iudice hanc parenthesin minus accurate constitutam esse jam supra dixi. Sed licet fatear, v. z. ἔωρ. — — τ. ζ. τ. αἰών. non utique neces-

saria fuisse et v. *κ. μαρτ. κ. ἀπαγγ.* ex parte propter apodosin adjecta esse, quam Apostolus in mente haberet, nihil tamen offendor. Verbum ex verbo natum est. Neque apodosi anticipata, quandoquidem τὸ ἀπαγγέλλειν τὴν ζ. τ. αἰ., quod hic scriptum legitur, de solo Christo valet, contra quod sequitur τὸ ἀπαγγ. ὁ ἔωρ. κ. ἀκηκ. in universum omnia complectitur, quod praeconium apostolicum continent. Unum concedo, illis verbis lectis jam attentum lectorem apodosi sententiam conjectura assequi posse.

Ut quam vs. 1. inchoaverat Johannes et propter longiorem vs. 2. parenthesin neglexerat sententiam vs. 3. absolveret, perspicuitatis causa primum memoriam vs. 1. verbis ὁ ἔωρ. κ. ἀκηκ. redintegravit, h. m.: quod (igitur) vidimus et audivimus —. ὑμῶν] καὶ ὑμῶν ABC. 7. 13. 40. 68. al., quos libros secutus est Lachmann. Vetus est textus depravatio, quae cum ex v. καὶ ὑμεῖς facile orta esset in plures eosque bonos libros irrepsit. Apostolo aut ut est in textu recepto scribendum erat, aut ita: ἀπαγγ. καὶ ὑ., ἵνα κοιν. ἐχ. —, illo modo scribere non potuit<sup>18)</sup>. Quod cum Syrus, quem utrumque καὶ in textu graeco invenisse probabile est, perspexisset prius tantum transtulit, posterius omisit. V. ἀπαγγέλλομεν (vs. 2 et 3.) non ad hanc respicere epistolam tum ex ejus argumento elucet, quod non tam in historia et doctrina enarranda versatur, quam exhortatorium est, cum ex vs. 4. perspicitur. Verbis enim ταῦτα γράφομεν, quae ab illo ἀπαγγέλλομεν utique diversa sunt, ea

<sup>18)</sup> Alius generis sunt II., in quibus καὶ comparativum his legitur, ut Matth. 18, 33. Rom. 1, 13. Coloss. 3, 13.

Johannes significavit, quae jam scripturus erat. Sed cum epistolam ita exaraverit, ut Apostolum Christianis, quos probe cognoverat, doctorem discipulis scribere par erat, hanc, qua cum lectoribus junctus erat, necessitatem prioribus vss. intuitus non ἀπηγγείλαμεν, sed Praesens usurpavit, quo lectorum se doctorem esse in universum indicaret (Joh. 8, 58.). Nam his evangelium praedicaverat et licet tum per literas praedicabat et vero etiam praedicaturus erat. ἵνα κ. — — ἡμῶν] ut vos etiam communionem habeatis nobiscum (sicuti jam alii nobiscum communionem habent) μεθ' ἡμῶν] nobiscum i. e. mecum; non, nobiscum sc. Christianis aut Apostolis. Johannes enim in praegressis de se solo loquutus est (v. s.) Κοινωνίαν ἔχειν (vss. 6. 7.) ita plane ut κοινωνὸν εἶναι τινος per se indefinitum est ideoque qua in re cernatur communio ex contextis vel aliunde constare debet (cf. II. Cor. 8, 23. Phil. 1, 7. Hebr. 10, 33. Matth. 23, 30 al.). Hoc autem l. illa cum Apostolo communio eo accuratius definitur, quod communio esse dicitur cum patre ejusque filio Jesu Christo, cujus ratio et indoles lectores haudquaquam effugere potuit<sup>19)</sup>. Etsi vero κοιν. ἔχειν ubique denotat communionem habere, in

<sup>19)</sup> Verissime Luecke l. l. p. 126. monuit, communionem Christianorum fidei vinculo patri ejusque filio habendae contineri, modo ne adjecisset, hoc clare et perspicue v. κ. ἡ κοιν. — Χοῦ enuntiari. Imo ex his v., quae alio plane consilio addita sunt (v. inf.) hoc nonnisi ratiocinando effici potuit. Ceterum de notione κοινωνίας Johanneae, quam minus assecutus est Traug. A. Seyffarth (Ein Beitrag zur Special-Charakteristik der Johann. Schriften p. 87 squu.) v. praeclarum

communione versari, potest tamen per contexta ita adhiberi, ut sententiam explanaturus transferas communionem assequi. Ita hoc prorsus l., ubi Apostolus vocula *ἵνα* satis indicavit, eo consilio se lectoribus evangelium praedicare, ut communionem secum assequerentur, v. *ἔχων* autem, non quod assequendi notionem haberet, adhibuit celeritate quadam cogitandi, qua non ad assequendi respexit actionem, sed ad posteriorem habendi, possidendi statum, quod in omnibus credo linguis usu venit saepissime. Aliter vero Lueckio visum est, qui haec v. de communione, quam jam lectores cum Apostolo iniissent retinenda enarravit: ut etiam vos communionem retineatis, in ea perseveretis; quia nimirum Johanes non primus illos praeconio suo fide christiana imbuisset, sed post demum eorum necessitatibus succurrisset. Sed ut v. *κοινων. ἔχ.* illam interpretationem admitterent, V. D. non satis ad diversitatem attendit, quae inter *ἀπαγγέλλ.* vs. 3. et *γράφομεν* vs. 4. intercedit nec vim v. *μεθ' ἡμῶν* omnino assecutus est. Hoc enim l., ubi Apostolus *in universum* de nuntio suo evangelii, quem ad lectores perferret, locutus est, verissime hoc se spectasse affirmavit, ut communionem *secum* assequerentur, haberent. Nec prius enim cum eo communionem habebant, quam iis evangelium praedicaverat. Sed recte aliter vs. 4. locutus est, ubi *hujus* epistolae scopum indicavit. Verba *κ. ἡ κοινων.* — — *Χοῦ* satis plana sunt, si modo communem fere interpretum errorem evitaveris, quo v. *ἡ κοιν. ἡ ἡμετέρα* aut

---

Neandri librum Geschichte der Pflanzung und Leitung der christlichen Kirche durch die App. II. p. 483.

communio cum apostolis (Seb. Schmid al.), aut quae omnino inter fideles intercedit (Luecke) intelligitur. Quum enim Johannes in antecedentibus Plurali Numero se solum significaverit (v. s.), v. autem *κ. ἡ κοιν.* — *Χοῦ* notionem *κοινωνίας μεθ' ὑμῶν* explicent magisque definiant, non potest profecto *ἡμετ.* nisi ad solum Apostolum referri. Praeterea Luecke eo sententiam corruptit, quod vocc. *καὶ — δέ* significationem *non solum — verum etiam, et — simul vero etiam* tribuit. Mire hanc opinionem duobus ll. ex Vigerio (ed. Herm. ed. II. p. 545.) petitis firmavit, quorum alter Thucydidis: *δικαιον γὰρ αὐτοῖς, κ. πρόπον δὲ ἅμα, τὴν τιμὴν ταύτην δίδοσθαι* continet quidem notionem *simul*, sed quam adjecto voc. *ἅμα* accepit, alter Demosthenis: *εἰ ῥήτωρ ἐστίν, οἴους ἐνίους ἐγὼ κ. ὑμεῖς δὲ ὄρατε* nihil nisi hoc enuntiat: *si rhetor est, cujusmodi nonnullos ego, et vos vero videtis.* Potuissent quidem scriptores in hujusmodi ll. interdum illam, quam Luecke vult, sententiam efferre, sed tum notionem aliter animo informassent aliisque verbis opus fuisset. At satis constat, voculas *καὶ — δέ* semper ita poni, ut aut *et — vero* (maxime in gravi distinctione: ut ego — et vero tu) Marc. 4, 36. Joh. 6, 51. 8, 16. 17 al., aut *etiam — vero* Joh. 15, 27 al. denotent. Noster locus, quo communio antea tantum memorata paucis exponitur, solam priorem recipit significationem h. m.: et communio vero nostra cum patre est (pessime Vulg., Grot. al. sit) et cum ejus filio J. Chr., h. e. communio autem mea (mecum) est, si rem accuratius consideraveris, communio cum ipso patre ejusque filio, quae temere sperneretur. Non igitur otiosa illa v. sunt, sed utique necessaria, quippe

quae lectores moneant, quanti facienda sit illa cum Apostolo communio. A nonnullis libris Msscr. (C. 13. 27. 29. al.) abest δέ, quibus si obsequutus fueris, ita enarrandum: communio nimirum mea (non, mecum) communio est cum patre —. Sententia nihil habet offensionis, quamquam non dubito, quin δέ, quod non perspexissent, consulto damnaverint.

Postquam his prioribus tribus vss. in universum significavit, se, testem rerum christianarum oculatum, ea ipsa, quae vidisset et audivisset lectoribus praedicare, quo hi etiam secum communione conjungerentur, reliquum erat, ut quo consilio hanc ad eos daret epistolam subjungeret, quam sententiam versu 4. enuntiavit. Voc. ταῦτα non ad praegressa, sed ad ea, quae jam exponuntur respicere cuique in promptu esse debet, qui tum satis memor est, hos quattuor vss. epistolae prooemium esse, tum ad diversitatem attendit, quae inter v. ἀπαγγ. — μεδ' ἡμῶν et γράφομεν — πεπληρ. intercedit. γράφομεν ὑμῶν] γρ. ἡμεῖς A\*B. 13. harl\*, quod in textum recepit Lachm. Male. Quamquam enim non plane quidem incommodum acumen in locum inveheret (Luecke), licuit enim ita scribere: et haec ego (testis scil. rerum christ. oculatus) scribo, fateor tamen, hoc acumen hic neutiquam requiri. Praeterea ἡμεῖς paucis illis libris non satis firmatur ejusque originem ex eo repetierim, quod in antecedentibus v. ἀκηκ. rell. apostolos notari opinati (v. s.) jam voc. requirebant, quo vs. 4. de solo Johanne valere indicaretur. V. etiam ll. 2, 26. 5, 13. ἡ χάρις ὑμῶν] ἡ χ. ἡμῶν 31. 40. 57. al., Syr. ܩܘܕܘܫܘܬܐ ܩܘܕܘܫܘܬܐ Eadem lectionis

diversitas invenitur in ep. II. vs. 12., ubi Lachm. plaudente Lueckio *ὑμῶν* scripsit. Sed valde dubito, an utrique loco par sit ratio. Et hoc quidem I. per sententiam nonnisi *ὑμῶν* ferri potest, siquidem v. ἀπαγγ. -- μεδ' ἡμ. in universum consilium praeconii Apostoli edisseritur, v. vero γράφ. — πεπλ. quid hac epistola spectetur adjicitur. Itaque vs. 3. et 4. eandem sententiam contineant necesse est, nisi quod in vs. 4. gradatio inesse debet. Pari modo licet alia, sed nihil attinet omnia afferre, cum praesertim ἡμῶν vetus quidem, sed paucis pejoris notae libris firmata sit lectio, quam exinde puto exstitisse, quod ἡ χ. ὑμῶν male intellecta offensionem erat. Sed alia ratio est ep. II. vs. 12., ubi quamquam *ὑμῶν* A. 13. 27. 29. al. firmant libri, lectio tamen vulgata ἡμῶν contextis commendatur. *Χαρά* h. l. gaudium est hominis christiani de fide sua, „gaudium, ut recte Bengel, fidei, gaudium amoris, gaudium spei.” Sane vero hac in terra illud nunquam plenum et perfectum esse potest, cum fides nostra nonnisi manca sit, sed ut Servator probe quidem memor fragilitatis humanae summum tamen et perfectum exemplum hominibus imitandum proposuit (Matth. 5, 48.), ita etiam Johannes id se agere perhibet, ut lectores plenum gaudium nanciscantur. Solet omnino ad eam Christianorum perfectionem respicere, quae nunc quidem sola cogitatione comprehenditur nec vero vita exprimitur (v. 7. 3, 6. 9.). Cf. quae Neander l. I. II. p. 474 sequ. exposuit. V. *χαρὰν πληροῦν* praeterea leguntur Joh. 3, 29. 15, 11. 16, 24. II. ep. v. 12. In eo igitur hujus epistolae consilium cernitur, ut lectores in vera fide christiana magis magisque confirmentur, non ut primum ea imbuantur.

His disputatis horum versuum vis non jam obscura esse potest, quam ut uno quasi obtutu pervideas, totum locum ita describere placet: „Quod (quae natura) erat ab initio (mundi), quod (quas res) audivi — quod oculis meis vidi, quod contemplatus sum et manus meae contrectarunt — de Verbo vitae (vitae fonte) — vita (vitae fons) enim apparuit (potui igitur eam videre, contemplari et contrectare) et vidi (eam) et testor (de ea) et praedico vobis hanc aeternam vitam, quippe quae apud patrem esset, nobis vero apparuerit (ita ut eam jam possim annuntiare) — quod (igitur) vidi et audivi annuntio vobis, ut vos etiam mecum communionem habeatis (sicuti jam alii mecum communionem habent), et communio vero mecum est communio cum patre ejusque filio, Jesu Christo (unde communionem meam pessime flocci penderetis). Et haec (quae sequuntur) vobis scribo, ut gaudium vestrum de fide vestra christiana in diem majus fiat, imo perfectum reddatur.

Ecce epistolae prooemium, quod nihil continet, nisi quod lectoribus tum primum dicendum videbatur, nimirum Johannem, rerum christianarum testem oculatum, lectorum esse doctorem v. 1—3. jamque ad eos scribere, ut eorum fidem christianam reddat perfectam v. 4. Quaeri vero potest, cur Apostolus tam multis verbis se testem significaverit rerum christianarum oculatum. Sed cum ita verissimum esse suum testimonium et quod male in dubitationem vocarent probaverit, qua alia quaeso ratione ductus esse potest, quam quod ejus animo pseudodoctores obversarentur, quorum in errores ne lectores inciderent, pluribus hujus epistolae locis cavere studuit. Quomodocunque

autem illi ceteroquin animati erant, hoc loco non nisi ad eorum docetismum respexit, id quod l. 4, 2. egregie concinit. Itaque huic errori, qui se ultro Apostoli animo offerret, cum suam doctoris auctoritatem esset vindicaturus *oblique* occurrit. Quae si recte disserui, non male quidem interpretes hoc l. adversarios impugnari statuerunt, sed longe plurimi tam in eo errarunt, quod fere nihil, nisi polemicas rationes hic deprehenderunt, tum cujusmodi fuissent falsi illi doctores non perspexerunt.

---

Ad alterum jam accedimus hujus epistolae locum (c. 2. vs. 7. 8.), non minus illum quidem ab interpretibus vexatum, sed de quo paucioribus absolvere licet. In eo enim explicando plurimi infelicissime versati sunt et nihil sane attinet, ea recoquere quae nec loco ipsi lucem praebent nec per historicas rationes ullius sunt momenti. Quare pauca tantum priorum interpretum eaque quasi praeteriens referam. Quo magis autem hujus loci ratio perspiciatur, priusquam ipsam interpretationem aggrediar, prioris epistolae partis argumentum exponam, praesertim cum hac de re aliis alia placuisse cognoverim.

Omnino ipsa epistola in duas partes distribuenda, quarum priori (1, 5 — 2, 11.) Apostolus sententiam: homini christiano dei praecepta observanda ejusque vitam ad Christi exemplum componendam: duplici ratione (1, 5 — 2, 2., 2, 3 — 11.) persecutus est. Ita vero. Cum deus, sicuti accepimus, lux sit (sanctus)

et ab omnibus tenebris abhorreat, non possumus sane cum eo communionem (cui studemus) habere, nisi in luce incedimus (sancte vivimus) vs. 5. 6. Sin vero in luce incedimus, ut ille est in luce, habemus illam communionem sanguisque Jesu Christi liberat nos ab omni, quod commisimus, peccato. Sane quidem fideles etiam peccant, sed si modo recte affecti quam fieri potest maxime peccata fugiunt et quae peccarunt confitentur, tum fidus et justus deus iis peccata remittet. Christus quippe iis opitulatur, qui (morte sua) mundi peccata expiavit. — 2, 2.<sup>20</sup>)

<sup>20</sup>) Tum alia Lueckii probare non possum, tum haec: vs. 7. καθαρῶσαι ἀπὸ πάσης ἁμ. non notare purum reddere a peccatis commissis, poena peccatorum liberare, sed a peccato ipso liberare h. m.: et (tum) sanguis Jesu Christi efficit, ut omne vitemus peccatum (illum nimirum, summum divini amoris documentum, sanctum nostrum amoris studium provocare, alere et perfectum reddere). Hanc explicationem eo probavit, quod h. l. non de eo sermo esset, quod locum haberet, cum homo peccasset, sed cum peccata evitaret. Praeterea ex vs. 9. cognosci inter ἀφιέναι τὰς ἁμ. et καθ. ἀπὸ π. ἁμ. discrimen statuendum esse. Mihi secus videtur. Primum enim non illo modo tam obscure sanguinis Christi mentio facta esset, qui quamquam nos quam maxime monet summi dei amoris nosque ad dei fratrumque amorem instigat (4, 9—12.), hanc tamen primariam vim habuit, ut hominum peccata expiaret (2, 2. 4, 10.). Si igitur in universum de efficacia sanguinis Christi sermo est, non licet nisi ad eam respicere, quae utpote primaria et genuina in toto N. T. praedicatur. Ita plane h. l. Et potestne tandem memoria illius sanguinis eam vim in homines exhibere, ut omnino vitent peccata? Praeterea perperam V. D. contextum ante-

Porro, nos deum cognovisse ex eo elucet, quod ejus praecepta observamus <sup>21)</sup>. Haec qui observat, certo deum perfecte amat, in eo est. 2, 3—5. Qui vero in eo se manere dicit, debet ut Christus vitam instituere (quandoquidem Christus noster dux et antesignanus est, qui in eo erat omniaque sua studia ad

status est. Dixerat Johannes in universum, communionem cum deo nos tum habere, cum in luce incederemus, ut deus in luce esset, sed hoc non omnino fieri posse satis memor sequentia adjecit, ut sententiam suam explicaret, nimirum etiam fideles quidem peccare, sed si modo recte animati peccata quam maxime fugerent Christum esse *ἰλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν*. Itaque v. κ. τὸ αἷμα. — ἅμα. nihil continere possunt nisi quod in vss. sequ., satis illis perspicuis, inest. De industria autem hanc sententiam tam multis persecutus est, ne male intellecta virtutis studio obsesset. Vs. 9. denique formulae ἄφ. τ. ἅμα. et καθαρ. ἀπὸ π. ἁδ. metaphora, quae iis subest, distant, non sententia, nisi placet ita enarrare: — condonet nobis peccata et (imo) nos purget ab omni (vel levissima) injustitia. — Παρακλ. 2, 1. vulgo advocatum, defensorem enarrant, malim opitulatorem, adjutorem, tum quia eodem sensu apud Johannem Spiritus S. ita nuncupatur (Joh. 14, 26. 15, 26. 16, 7.) atque etiam Servator ipse (Joh. 14, 16.) tum quod vs. 2., qui cur Christus παράκλητος dictus sit explicat, in universum ad meritum Christi expiatorium respicitur.

<sup>21)</sup> Non munitur haec sententia, quia lectoribus non probanda, sed tantummodo in memoriam revocanda erat. Egrege vero Apostolus a v. ἐγνώκαμεν αὐτόν profectus est, quae tum, cum de γνώσει gloriari solebant, in omnium fere ore versabantur, h. m: Deum cognovisse quis non cupiat, non dicat? Sed —

dei voluntatem accommodavit) vs. 6. Ita vero non novum vobis scribo praeceptum, sed quod vobis jam scriptum est, cum ad castra christiana accederetis, quamquam quodam modo illud novum sane vobis scribo, siquidem vera lux jam lucet vs. 7. 8. Neque vero in luce versatur, qui fratrem odit. v. 9 — 11. <sup>22)</sup>

Sed de vss. 7 et 8., quorum genuina vis ex eo, quod modo posui argumentum, nondum satis perspicitur, uberius dicendum. Versus septimus perquam est perspicuus, in quo non magis dubitandum erat, quodnam praeceptum novum dictum esset, quam quae vis verbis ἀπ' ἀρχῆς iisque subesset quae sequuntur. Nam cum Apostolus omnino hac epistolae parte lectoribus praeceptum commendet, quo in luce versari, dei praecepta observare, ita vivere jubemur, ut Christus vixit, imo vs. 3 et 6. ejusmodi verbis illud enuntiaverit, quibus nihil potest esse clarius, vs. 7. autem vel ideo ad sequentia respicere non possit, quia nullo praeceptum iis continetur miro sane errore sero demum intellectum est, illud ipsum praeceptum jam non novum, sed vetus ab Johanne dictum esse. Sed ut peccatum ex peccato, sic ex errore nascitur error. Multi enim interpretes, qui praeceptum de diligendis fratribus notari sibi persuasissent, tum ut praeceptum illud recte vetus et novum dictum esset tum aliis ducti rationibus, ἀπ' ἀρχῆς ad pristina mosaicae re-

<sup>22)</sup> Ut ita prorsus, ut scripsit, scriberet, ultimis vs. 8. v. adductus est. Quasi praeteriens autem lectoribus amorem fratrum commendavit, quem utpote primarium dei praeceptum sexcenties inculcat.

ligionis tempora (Levit. 19, 18.) rettulerunt<sup>23)</sup>, quod utut alioquin falsissimum nemini facile in mentem venisset, qui de novo illo praecepto recte statuisset. Cum enim h. l. de praecepto christiano sermo sit, quod lectoribus simulac facti sunt Christiani est scriptum, quae per se indefinita sunt v. ἀπ' ἀρχ. (v. s.) non possunt sane nisi lectorum initia christiana respicere ut vs. 24, 3, 11. al.<sup>24)</sup> Postquam igitur Apostolus praeceptum illud lectoribus etiam atque etiam commendavit, ita disserere pergit: Amati, non novum ita vobis scribo praeceptum, sed vetus, quod ab illo inde tempore habuistis, quo fidem christianam amplexi estis. Hoc vero quamquam lectoribus satis cognitum esse debebat, ne ullus tamen dubitandi locus relinqueretur, altera versus parte firmare maluit. V. ἡ ἐντ. ἡ παλ. idem notare praeceptum quod modo οὐκ ἐντ. καιν. ἀλλ' ἐντ. παλ. dictum erat, vulgo perperam statuitur, sed ea collective, uti loquuntur, sumenda esse tum ex adjecto Articulo intelligitur, quo voc. ἐντολή et paullo ante vs. 7. et post vs. 8. caret, tum ὁ λόγος sat gravi argumento est, cujus universali notioni ἡ ἐντ. ἡ παλ. alioquin non responderet, quod utique necessarium est. Quare ita disputat: vetera

<sup>23)</sup> Usque ad novissima paene tempora vulgaris erat haec loci explicatio, quae quidem in singulis interpretibus paullo diversa est. Fraudi erat Viris DD. vs. 9. et II. Joh. 13, 34. II. ep. 5.

<sup>24)</sup> V. ἀπ' ἀρχῆς, quae vulgo in fine vs. leguntur, sed a multis Codd. absunt (ABC. 27. 29. al.), recte delevit Lachm. Orta sunt ex priori vs. membro — ἣν εἶχετε ἀπ' ἀρχῆς.

(enim) praecepta sunt doctrina, quam audivistis (quaeque vobis neutiquam nova videri potest) h. e. vetera enim praecepta sunt eadem doctrina, quae vobis, qui eam dudum audivistis, satis est nota, (Sind doch die alten Gebote mit der vernommenen [also euch wohlbekannt] Christuslehre identisch) unde sequitur, illud praeceptum, quod pertinet ad illum λόγον, in illo λόγω inest, nonnisi vetus esse posse. Neque vero addidit, quod ex suis verbis efficiendum erat, cum nemini facile obscurum esse posset.

Haud ita quidem planus et perspicuus versus est octavus, sed minus in eo enarrando interpretes titubassent, si satis perpendissent, solere Johannem pro indole sua mystica sententias positas saepius diversa ratione animo informare et persequi. Ita hoc prorsus loco; unde duo efficiuntur, unum, non aliud praeceptum, quam quod modo vetus dictum erat, jam novum appellari, alterum, dubitari vix posse, quin vs. 8. versui 7. respondeat. Haec vero accurata versus explicatione mirum quantum probantur. Sed primum de struendis verbis quaeritur, in quibus Knappio (Scripta v. arg. ed. II. I. p. 347.) ita obsequerem, ut v. h. m. resolverem: Πάλιν — ὑμῶν τοῦτο, ὅ —. Rursus (utpote) novum vobis scribo praeceptum illud, quod — <sup>25)</sup>, nisi orationis ratio, qua vs. 7. et 8. con-

---

<sup>25)</sup> Minus accurate Knappium adortus est Luecke, qui, ut leviora omittam, miratur, quod hoc pacto non scriptum esset ἡ ἐστὶν ἀληθής —. At cum non ipsum praeceptum, sed id quod praeceptum est verum fiat in hominibus, illo modo loqui multo sane erat proclivius. Ipse V. D. alia recte explicuit, in aliis me quidem iudice erravit, cujusmodi hoc

tinentur, v. ὅ ἐστιν — ὑμῶν Appositionis causa ad  
 ἐντ. καιν. adjecta esse (ut vs. 7. ἐντ. παλ., ἣν εἴχετε  
 ἀπ' ἀρχῆς) satis gravi esset argumento. Enarra:  
 Rursus novum vobis scribo praeceptum h. e. prae-  
 scribo vobis, quod verum est, vere locum obtinet in  
 eo (Christo 2, 6.) atque in vobis<sup>26</sup>). Jam reliquum  
 erat, ut qui illud praeceptum novum dici potuisset ex-  
 poneret idque probavit v. ὅτι ἡ σκ. — φαίνει, sicuti  
 vs. 7. v. ἡ ἐντ. ἡ παλ. — ὃν ἠκούσατε vetus illud  
 esse docuerat. Quod si recte perpenderit non sane  
 in vulgarem incidet errorem, quo v. ὅτι ἡ σκ. κ. τ. λ.  
 praegressa v. ὅ ἐστιν ἀλ. κ. τ. ἐ. firmant, sed cum  
 haec non nisi Appositionis causa adjecta sint pertinent  
 ad totam praegressam sententiam: quia nimirum tene-  
 brae (perversa vivendi ratio, vita improba), praeterit  
 (magis magisque evanescit) veraque lux (vita deo,  
 sanctitati dicata) jamjam lucescit. Brevi praecedam, Jo-  
 hannes, qui praeceptum, quo lucem sequi, Christum

est. Morum enim ex parte secutus, verbis ὅ — ὑμῶν expli-  
 cari et probari existimat, cur ἐντολὴ καινὴ dicta sit, illa  
 ipsa autem v. ὅ — ὑμῶν verbis ὅτι — φαίνει muniri h. m.:  
 Quod eandem ἐντολὴν rursus novam appello, hoc verum est  
 in eo et in vobis (daß ich dieselbe ἐντ. wieder eine neue nenne,  
 das hat seine Wahrheit in ihm und in Euch) — . Sed ubi tau-  
 dem legitur illud: Quod eandem ἐντ. rursus novam appel-  
 lo —? Omnino meo iudicio illa sententia tum demum effi-  
 citur, si hoc fere m. v. animo copulata esse censes: π. ἐντ.  
 κ. γρ. ὅ., ὅ (sc. τὸ γράφειν με ὑμῶν ἐντ. κ.) ἐστιν ἀλ. κτλ.,  
 quod nemini facile probabitur.

<sup>26</sup>) ὑμῶν] ἡμῶν A. 29. 31. 76\* al., quae lectio forsitan  
 exinde exstitit, quod ὑμῶν lectoribus, quibus virtutis studium  
 tantopere esset commendatum, non satis convenire videbatur.

imitari jubemur, vetus esse modo probaverat, jam idem alia ratione novum nuncupari posse evicit. Novum quippe praeceptum illud quod in Christo et vobis verum est ideo dici potest, quia hoc ipsum (vita sancta) in Christo et fidelibus nunc locum occupavit, verum factum est, imo, ut rectius dicam, etiam nunc sensim ac paullatim verum fit. Nondum enim tenebrae prorsus depulsae, etiam nunc pugna inter lucem et tenebras, sed lux magis magisque vincit. In his nihil video, quod obscurum sit. Sane vero ideo tantum vetus illud praeceptum novum commendari poterat, quod Christus ei satisfecerat et lectores ex parte ei steterant, sed hoc unum sibi vult Apostolus. Omnino vero indubitata redditur haec explicatio vs. 7., cui vs. 8. ita demum ut par est respondet. Si denique quaeritur, cur hi vs. additi sint, non difficilis sane est responsio. Nam cum gravissimum illud praeceptum iis lectoribus quam maxime inculcasset, quorum fides pernicioso novitiorum pseudodoctorum strepitu periclitabatur, nihil novi se praecipere, sed quod dudum iis injunctum esset recte eos cum vi monuit. Ex vs. 7. natus est vs. 8., quo ingenio suo ductus eandem sententiam diversa plane ratione persecutus est<sup>27)</sup>.

---

27) Plane alia hac de re disseruit Luecke, quae ut profunda esse videantur, vera quidem non sunt. Johannem, cum vs. 6. primariam illam praeceptionem lectoribus injunxisset, memorem factum esse tum difficultatis, quam hominibus exhiberet, tum *infidelibus* illam quidem *novam* esse, *fidelibus* *dudum cognitam*. Itaque veterem (lectoribus dudum cognitam) eam dici, ne lectores pro humana sua infirmitate eam utpote novam reformidarent, novam autem (scil. infidelibus)

Sed haec hactenus. Restat, ut quid mihi hujus libelli conscribendi opportunitatem attulerit paucis dicam. Quum enim a *Quindecimviris Gravissimis*, qui rebus scholasticis Reipublicae Turicensis praesunt, munus professoris theologiae publici extraordinarii in hac alma Academia mihi demandatum sit, hanc provinciam oratione d. XII. m. Aug. in aula academica publice habenda rite auspicabor. Hujus igitur diei solennitati ut Literarum Sacrarum Fautores frequentes adesse velint omni qua par est observantia rogo.

Scr. Turici d. XII. m. Jul. a. M. DCCC. XXXVII.

---

ne utpote veterem vilipenderent atque contemnerent. Haec optavit V. D., non in verbis Johanneis deprehendit. Ubi vetus dicitur illud praeceptum *lectoribus*, novum *infidelibus*? Quid? quod tota sententia ab Apostoli mente aliena est. Novitas obfuisset ejusmodi praecepto, vetustas non potuit.

TURICI LITERIS ULRICIANIS.

Zentralbibliothek Zürich



ZM01750865

